

Inscriptiones latinae antiquae

Salonis repertae

a

MARCO MARULO SPALATENSI

collectae et illustratae.

Exemplum saec. XVI. ineunte scriptum superest nunc in codice Vaticano 5249 f. 1—15. Descripsit hunc codicem Jo. Lucius Traguriensis, eiusque exemplum servatur hodie in bibl. Marciana Ital. cl. XI. n. 67. sub titulo *Iscrizioni Salonitane antiche raccolte ed illustrate da Marco Marulo*, ex quo nos transcripsimus. De Marco Marulo abunde disseruit Joh. Kukuljević (*Stari pisci hrvatski. I. Pjesme Marka Marulića. U Zagrebu 1869*), attamen hunc commentarium neque meminit. Inscriptiones tantum edidit ipse Lucius (*Inscriptiones Dalmaticae Venetiis MDCLXXIII. p. 24. c. d. c.*), noviter Mommsenius (*Corp. Inscript. Lat. Tom. III*), qui pag. 274 subiungit: *musei Papalini titulos Marulus descripsit cum fide, etsi versus non retinuit nec perfecta dedit exempla; utilitas autem syllogae eius in eo maxime consistit, quod museum illud et primus descripsit et integrum solus*. Nos totum opus damus fideliter sicut in Marciano codice Lucii nunc extat, non solum tanquam monumentum vetustissimum epigrammatum patriae nostrae, verum etiam tanquam praeclarum testimonium Marulanae industriae hisce in studiis.

S. Ljubić.

Salonis.

Hactenus externa tibi interpretatus sum Dominice Papalis charissime, nunc maiorum nostrorum aperiemus monumenta, quae saepe tecum per Salonarum rudera parietinasque vagatus passim iacentia spectavi, et interdum patrii soli nostri quanta quondam gloria fuit mecum revolvens virgilianum illud repetebam:

Fuimus Troes, fuit Illium et ingens gloria Teucrorum.

Qualis enim quantave urbs ista extiterit, quae a Gothis solo equata esse desiit, non modo reliquiae eius testantur verum et veteris historiae scriptorum indicat auctoritas. Nam et Strabo in suo geographiae libro Dalmatarum emporium Salonas esse asserit, ac de ipsis Dalmatiis: ea gens, inquit, annos complures adversus Romanos bella gessit. Plinius quoque Secundus ait: Salona Colonia ab Jadra C. Millia pass.: petunt in ea iura iuribus descriptis in decurias CCCLXII Dalmatae; quos ibi nominatim recenset. Inter eos autem Arstatum meminit, et Italiae quandam populatores appellat. Preter hec in Caesaris comment. relatum legimus, quod M. Octavius cum navibus Salonas pervenerit, ubi concitatis Dalmatis reliquisque barbaris *Clissam* a Caesaris amicitia avertit, conventumque Salonensem quum neque pollicitationibus neque denunciatione periculi promovere posset, oppugnare instituit. Est autem oppidum, inquit, et loci natura et colle munitum. Octavius quinque castris oppidum praemere caepit, illi se defendere. Tandem dispositis per muros pueris ac mulieribus, portis egressi, Octavii castra invadunt, expugnantque, deinde et reliqua, cedesque non parva facta est; qui superfuerant, ad naves fugore compellunt. Atque talis fidei talisque in bello virtutis tunc fuere Salonenses nostri. Huc accedit, quod Diocletianus Imp. Salonis natus virtute, rebusque gestis ad Romanorum Imperium meruit promoveri. Deposito deinde Imperio, privatam vitam peregit in patria; et quum Romam ad pristinam dignitatem revocaretur, maluit hic conscenescere privatus, quam Roma imperare, usque adeo coeperat eum amoenitas loci et tranquillum in secessu ovium. Extat aedificium eius Salonis proximum, quod maiores nostri post urbis eversionem incolere coeperunt, nunc nostrum natale solum est, quod Spalatum appellant, sed etiam ipsum semirutum quidem atque in parte deintegratum, murorum tamen ac turrium pulchritudine, postarumque affabre structarum decore ostendens, qualia etiam illa fuerint, quae vel vetustate, vel inimicorum iniuria defecere. Stat adhuc templum Jovi quondam sacrum, nunc Domio martyri dicatum, magnae turris instar rotunda specie angulatum, cuius murus, ut vides, quadrato

lapide rethiculataque structura constat, ordo columnis ingentibus intus fulcitur, quibus aliae insident minores, quarum quattuor e marmore porphyrite cum aliis ad testudinem usque tecti eriguntur exterius circa se magnarum duarum et viginti columnarum perystilium habet, et id quidem sinadico marmore nobile. Porro ante templi limina vestibulumque ipsum atrium patet spaciosum columnis grandibus et ipsis e marmore phrygio delatis circumseptum, quibus arcus impositi fulciuntur ita ut nusquam Romae, tot tantas talesque columnas uno in loco compositas reperiēs. E regione templi sacellum est eodem tempore parique structurae genere elaboratum. Praeter ista erant et alia tria templa reliquo aedificio, ut apparet, vetustiora, atque ideo magis diruta; in his tessellarum pictura, quae exornata fuerant alicubi adhuc visitur; extant et chryptoporticus plurimae, ita ut non minus miremur subterranea aedificia, quam quae in aperto spectantur. Sed ne plura intempestive replicem tibi praesertim, qui cuncta quidem et saepe vidisti, et adhuc inspicere (in tantum se delectat antiquitas) non satiaris: vide tandem, quanta rerum humanarum mutatio sit, quanta volumina vel ludibria potius nunquam simpliciter indulgentis fortunae nihil usquam firmum habetur in terra, nichil stabile, nihil in eodem statu permanens, non urbes, non imperia, extra terram igitur extra anni solisque vias querenda homini felicitas est, quam pie iusteque viventibus omnipotens deus super coelum perennem perpetuamque largitur; sed iam, quod proposuimus, prosequamur.

Salonis.

L LIBVRCIO FELICI • V • ANN • XXIII L • PATRIA
MIRA FORTITV • DEFEN • INTERFE ET CVM CO
MMV • LACH • RI • AD ROG • DVCT • IVLLIOLA MAR
CELLA • V • PI • POS • T • III • DI • OBIT •

Integrum sic:

Lucio Liburcio felici vixit annos XXIII. Patri mira fortitudine defensa interfecto et cum communibus lachrimis ad rogam ducto Iul-liola Marcella viro; deest qui: sic tanquam apud historicos et apud poetas usurpatum inuenies, ut etiam illud (Vrbs antiqua fuit Tyrii tenere coloni), quem dicendi modum eperegesim vocat Servius. Hic igitur quattuor et viginti annos natus pro patriae salute fortiter pugnando occubuit, dignusque visus est; cui a civibus cum lachrimis iusta persolverentur, eo amisso et iam sepulto uxor prae animi tristitia his tantum dies supervixit, posteris relinquens non minus

certum sui erga virum amoris testimonium quam Getharum faeminae, quae super mortua coniugum corpora interfici simulque sepeliri expotissee feruntur. Potest, quod esse audacior, quae se perimendam sponte offert, sed non ista amantior, quamvis doloris extinxit. Huiusmodi exemplum in adolescentia nostra vidimus Dominice, Perinae consobrinae tuae, quae Georgio marito a Turcis interfecto moerore superata efflavit animam. Tunc ego, amborum sortem miseratus, tale (ut et tu meminisse potes) illis apposui epitaphium adhuc Tydei praeceptoris mei scholam frequentarem.

Ausus confertos incurrere Georgius hostes
ipse suos casus sanguine sparsit humum
Hoc potuit lethum perferre Perina marito
hic domum nimio victa dolore iacet.
Haec quicumque legis saevae maledicito dextrae
Una quae fecit caede perire duos

Sed certe casus hic in Perina tua eo mirabilior, quod nondum annum cum illo exegerat, cuius mortem tam impatienter tulit.

Salonis. 2.

P · FVNDANIVS PHILOLOGVS AVGVSTAL ·
T · F · I · SIBI ET FVNDANIAE · EGLOGI LIB ·
ERT · ET VXORI · ZOSIMVS ET FELIX LIBE
RT ET HERED FACIVND CVR ∴ —

integrum ita:

Publius Fundanus Philologus Augustalis testamento fieri iussit sibi et Fundaniae Eglogi libertae et uxori Zosimus et Felix liberti et heredes faciundum curarunt.

Philologus augustalis officii nomen fuisse conijcio ab Augusto concessi. Philos enim graece latine amorem sonat et logos ratio vel oratio dicitur, ut quasi procurator alicuius Caesaris Augusti sit, qui eius rem curet et expensi acceptique rationes in provincia dispungat atque cognoscat.

Salonis. 3.

D M
PANES FILIAE INFELICISSIMAE
TTT · P · A · F ·

hoc est:

Panes filiae infelicissimae Tertullae Parens afflicta fecit; ut sit Panes mater et Tertulla filia, utriusque enim nomen fuit exprimentum. Tertullam autem in quibusdam epitaphiis integre descriptam

legi, quorum adducor, ut credas hoc loco pro tria T. Tertullam significari.

Salonis. 4.

D M

CASSIO MINERBINO DEF ANN • XLVII

AEL SVPERA CONIVX MARITO INCOMP

ARABILI CVM QVO VIXIT ANN XXVII B • M •

ET SIBI

DEF. ANN. defuncto annorum, ANN. annos, B. M. benemerito. Coniux observandum sicut hic, ita in aliis multis legi non coniunx, nam neque in obliquis Lt. n. dicitur enim coniugis, coniugi, coniugem, non coniungis, coniungi, coniungem.

Salonis. 5.

C • CLODIVS FELIX IIIII VIR AVG • V • F • SIBI

ET • CLODIAE PRIMIGENIAE FILIAE POS

TERISQ • SVIS

hoc est:

Caius Clodius Felix sex vir augustalis vivus fecit; caetera integra sunt. Diximus sexviratum in provinciis esse. Primigeniae filiae nos dicimus primogenitae, sed et grammatici ea primigenia verba vocant, quae per se inventa sunt, nec aliunde derivantur. Non igitur incongrue sicut primogenitos ita et primogenios dixerimus illos, qui primo nati sunt.

Salonis. 6.

D M

ISICIAE FIRMINAE CONIVGI FL • FO

RTVNATVS MARITVS • B • M • P • D • ANN

P • M • XXX V

legendum sic:

Isicciae Firminae coniugi Flacius Fortunatus maritus banemeritae posuit defunctae annorum plus minus enim erat, sive parum plus sive parum minus aetatis haberet, quando vita decessit.

Salonis. 7.

L POMPONIVS EXTRICATVS • V • F •

SIBI • ET SVIS ET COPPIO VIVIANO

AMICO B • M • IN FR • P • VI • IN AGR

P • VI

L Lucius, V. F. vivus fecit, B. M. benemerito, IN. FR. VI. IN AGR. P. VI. in fronte pedes VI in agro pedes VI. In his declaratur eius iuris locus circa sepulturam, ut alibi diximus, ne quis eum sibi vindicet occupareque contendat.

Salonis. 8.

DEP · IVLII ZACONI DIE · III · NONAS

NOVEMBRES · DECIANO

ET CEREALE COSS

FL · IVLIVS ZAGONVS ET AVRELIA MERIA

· CONIVX EIVS · HOC SARCOPHACVM SIBI

VIVI POSVERVNT SI QVIS P^oST NOSTRAM

PAVSATIONEM HOC SARCOPHACVM APE

RIRE VOLVERIT INFERA ECCLESIAE SALO

NARVM

CENTILBRAS QVINQVAGITA

DEP. depositio, COSS consulibus, FL Flavius. Pausationem i. requiem; pausa enim, ut Nonius ait, requies est. Inferat inquit ecclesiae Salonarum centilibras L; ex hoc patet, iam tunc christianos fuisse Salonis, ecclesia enim christianorum est, non infidelium. Centilibre quoque novitium monetae genus non vetus. Sarchofagus autem, ut Plinius ait, lapis est fissili vena corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, ideo nomen habet a carne edenda, *sarks* enim caro est et *fagein*, edo; hinc quidam sarcophagum pro sepulcro usurpant; quod autem hic scribitur sarcophacus manifestum est in multis c. loco g. usurpari.

Salonis. 9.

DIS SVRIS

C · ALBVCIVS · CL RESTIVTVS

Hunc Syrum fuisse arbitror, et quum egestasset, a suis diis se restitutum ratus, votum solvit. Syri autem et Egyptii animalium effigies adorabant, et magis, ut Pomponius inquit, ipsa animalia. Apim praesertim, hoc est bovem nigrum certis maculis insignem et cauda linguaque dissimilem aliorum. CL. clementem.

Salonis. 10.

D

M

ATANIA

MARCIA

MARCELLAE

FIL DEF ANN VIII

hoc est filiae defunctae annorum octo.

Salonis. 11.

D M

RAECIAE MARCIAE APLIVS KARVS

MARITVS · P · posuit.

Salonis. 12.

IMP · CAES · MA · AVR · ANTONINO AVG

PONT · MAX · TRIB POT · XXIII

P · P · COH · I CXO · DEL · SVB · CVR · GRANI


FORTVNATI TRIB · COH · EIVS · MVRI · P ·

DCCC IN HIS TVRR VNA

legendum ita :

Imperatori Caesari Marco Aurelio Antonino Augusto Pontifici Maximo tribuniciae potestatis quater et vigesies positi per cohortem primam mille Delmatarum sub cura Grani Fortunati Tribuni cohortis eiusdem muri passuum octingentorum in his turris una. Hunc Imperatorem fuisse reor Marcum Aurelium Antoninum cognomento Verum, qui post Titum imperavit annos XVIII mensem unum, quo in Germania adversus Quados pugnante, exercitui siti oppresso pluvia, ut Eusebius refert, divinitus missa prestitit potum. Germanos autem et Sarmatas fulmina persecuta sunt. Extant eius literae, ut idem testatur, quibus ipse confessus est, pluviam illam, quae tunc contigit, precibus militum christianorum fuisse impetratam. Hic Commodum filium regni consortem fecit, cum eo de hostibus triumphavit, multam largitus est pecuniam, quae fisco debebatur, debitoribus remisit, legum veterum severitatem novis constitutionibus temperavit. In editione ludorum centum simul leones exhibuit. In Pannonia malo periit, Commodus filio relinquens imperium. Ab hoc igitur missa fuit Delmatarum cohors ad aedificandum murum Salonarum, cuius fundamenta adhuc extant ingentibus saxis posita prope fluminis ripam et inde ad maris littora Tragurium versus longo admodum ordine tendentia. Delmatarum autem virtus ex eo declaratur, quod primae cohortis fuisse memorantur. Prima quippe cohors caeteras et numero et dignitate superabat. Quam rem, ut melius intelligas, paulo plenius explanabo. Legio una ex sex millibus peditum centum adiectis et septingentis triginta equitibus constabat. Ea dividebatur in cohortes decem. Prima cohors cum Imperatore erat circa vexillum, habens mille centum et quinque pedites centum et quadraginta duos equites. Secunda vero cohors quingentos et quinquaginta duos pedites, sex et sexaginta equites habuit. Hunc eundem numerum re-

liquae cohortes habuerunt, ex his decem cohortibus, quoties prelium immineret, duae acies ordinabantur. In prima acie prima cohors dextrum cornu tenebat, quinta levum, tertia locum medium, circa quam secunda et quarta erat. Idem ordo secundae post primam aciei fuerat, idcirco igitur primae cohortis Delmatae fuere, quia et corporis robore et animi magnitudine alias antecesserant. Inscriptio autem ista indicat sub quo Imperatore et per quos murus istae cum turri fuerat aedificatus, ex quo etiam conjici posset, urbem ipsam non ita amplam tunc fuisse, quum a M. Octavio Pompeiano ut oppugnata, tunc etiam quidem loci, nam et colle munita dicitur, quia latus montis occupabat; postea vero cum muro hoc, de quo loquimur, in tantum fuit dilatata, ut maior pars eius in planitie quam in clivo sedisse appareat.



Dianthus Vukotinovićii.
Borbás.

